



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber De Prudentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús María>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. I. Quanti ponderis sit amor Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

QVINTA PARS  
 VBI AGIT VR DE IIS,  
 quæ mouent ad amorem  
 Dei.

## CAP. I.

*Quanti ponderis sit amor Dei.*

RIMVM, & maximum mandatum dulcissimæ legis, quæ est propria noui testamenti mei, in amore summo positum est. Ratio quippe postulat, charissimi filij, ut sumum, & incommutabile bonum summo amore diligatur. Quod si benè cōsideretis, apparebit oculis cordis vestri infinita dignitas Maiestatis meæ, immensa bonitas, & suauissima pulchritudo formæ Dei; quæ amorem fortissimum excitabit. Inuenietis enim thesaurum diuinæ bonitatis absconditum in terra purissimæ carnis meæ, & corda vestra tantæ consolationis magnitudine conuicta cognoscent, inestimabiles esse diuitias amoris mei. Certè si sciretis quanta sit diuinæ dilectionis altitudo, la-

do, latitudo, profunditas, & longitu-  
do; cito relinquenteris omnia mudi bo-  
na, & pateremini omnia mala, vt Paci-  
fici Regis, cuius vultum deprecantur  
omnes diuites plebis, amore inflam-  
maremini. Per amorem infiniti deco-  
ris mei, accedit homo ad cor altū, cu-  
jus ascensionibus exaltatur Deus. Amor  
meus melle dulcior, & auro obrizo  
pretiosior cor eleuat; vt arbitretur  
omnia, quasi stercora, & me solum vi-  
tam, & fortitudinem suam audiissimè  
lucrifaciat. Amor tanquam ignis, non  
comburens, sed illuminans, figit in so-  
lo decore meo, desideria cordis pere-  
grini, atquè solliciti, faciem meam si-  
ne fine requirentis. Beati amici mei,  
quorum totum opus dilectio est, quo-  
rū casta corda nutrimento amoris alū-  
tur: mirabili quippè transformatione  
mutabuntur in me. Ego ero tota illorū  
salus, & voluptas, nec patiar illos di-  
uerti ab amplexu meo. Erunt quasi ca-  
tuli leonis, quos dulcissimo somno ac-  
cubantes, nemo suscitare audebit: ego  
enim præcipiam, ne suscitentur donec  
ipsi velint. Vigilabit cor eorum dor-  
mien-

mientium , æterna vigilia charitatis,  
sollicita p̄cordia ad amorem impel-  
lentis. Hæc est pars quærentium me, &  
vendentium omnia bona sua , pro pri-  
mogenita dilectione mea. Propter  
quod , dilectissimi filij, non deberetis  
permittere somnum oculis vestris , &  
palpebris vestris dormitionem, do-  
nec inueniretis pretiosissimum amo-  
rem meum , multis laboribus exquisi-  
tum ad fabricam ferculi Salomonis;  
qui media ferculi, suauissima charitate  
eupit ornare, propter filias Ierusalem.  
Hæc meditamini filij, & totis visceri-  
bus corda vestra mihi præparate, vt a-  
more vestro allectus , recliner in eis,  
tanquam sponsus in thalamo suo.

### CAP. I I.

#### *De sapientia Christi.*

**P**ARVA illa sapientia , quam ho-  
mines inter tenebras ignorantiae,  
in scholis discunt, eos apud alios ho-  
mines adeò mirabiles, & amabiles fa-  
cit, ut eorum gratiam captare , & se-  
cum habere, etiam principes terræ cu-  
xent. Quid ergo facere deberetis filij  
erga